



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

CCCCXLVII. Schreiben vom Markgrafen Woldemar und von vier andern
Churfürsten an den Pabst wegen der Wahl und Krönung des Pfalzgrafen
Ludwig von Bayern zum Römischen Könige, vom 23. October 1314.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

omnibus bonis, liberis et in p̄eodatis, et omnium eorum bonorum proprietati ad nos deuolutorum in terra Frankonie, vero proprietatis titulo et iure hereditario, ratione genitoris nostri, Domini Hermanni bone memorie quondam Brandenburgensis Marchionis, ipsa resignantes libere ad manus domini Bertholdi, Comitis de Henneberg et Sororis nostre Jutte, et ad manus filii ejusdem domini comitis, qui eandem nostram Sororem thori confortem ducet etc. — Actum et datum in Werbelino, Anno domini M. CCC. XIV. in crastino assumptionis sancte Marie virginis.

Nach Gruneri Opusc. Coll. ad illustr. hist. Germ. Vol. II. Antiqu. Coburg. 101. Lenj, Brandeb. Urk. S. 920.

CCCCXLVI. Pfalzgraf Ludwig am Rhein bestätigt dem Grafen Berthold von Henneberg die Versprechungen, welche er ihm für den Fall, daß er Römischer König werde, durch die Markgrafen von Brandenburg Woldemar und Johann gemacht, am 23. September 1314.

Wir Ludewig, von Gots Gnadin Pfalzgrafe bye dem Ryne vnd Hertzoge in Beiern, bekennen offinbar an diesem Brife, daz wir dem Edeln Manne Grafen Bertolde von Henninberge, vnserne lieben Swagere, gelobet han vnd geloben, ob vns Got gehilfet, daz wir romischer Kunig wordin, daz wir yne dise Artichel vnd dise Stucke, die himnach geschriben sten, die wir auch in der Edlen Fursten Marcgrafen Woldemars vnd Marcgrafen Johans von Brandenburck Brifen gelobet han, sullen haldin vnverbrochen vnd bestetigen mit vnsern offenen Brifen vnd mit vnserne Romischen Insigne etc. — — — Daz ist gescheen zu Mentze, nach Gots Geburte Drutzehen hundert Jar darnach in den vierzehenden Jare, an den Tagk nach Mauricii.

Die Urkunde befindet sich vollständig in Schultes Gesch. v. Henneb. II, Urk. S. 16. u. 17.

CCCCXLVII. Schreiben vom Markgrafen Woldemar und von vier andern Churfürsten an den Pabst wegen der Wahl und Krönung des Pfalzgrafen Ludwig von Bayern zum Römischen Könige, vom 23. October 1314.

In nomine domini Amen. Sanctissimo in Cristo Patri ac Domino suo, Domino sacrosancte Romane ac vniuersalis Ecclesie summo Pontifici futuro Petrus, Dei et apostolice sedis gratia Sancte Maguntine Sedis Archiepiscopus, Sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius, Joannes, Dei gratia Bohemie et Polonie Rex, Waldemar, Marchio Brandenburgensis, ac Joannes, Dux Saxonie Senior, humiles ac devoti cum omni reverentia ac devotissima pedum oscula beatorum. Vacante nuper per obitum felicis recordationis Serenissimi Domini Henrici, quondam Romani Imperatoris, ipso Romanorum regno seu Romano Imperio et nobis una cum Reverendo Domino Balduino, Sancte Trevirensis Ecclesie Archiepiscopo, nec non Reverendi Domini Henrici, Archiepiscopi Colonien-

sis, et illustrium Principum Joannis, Bohemie et Polonie Regis, Rudolphi, Comitum Palatini Rheni, Ducis Bavarie, Waldemari, Marchionis Brandenburgensis, ac Ducis Saxonie, honorabilibus Procuratoribus; ad quos tam de jure, quam de consuetudine antiqua et approbata jus eligendi Romanorum Regem, in Imperatorem postmodum promovendum, noscitur pertinere; solenniter concordantibus in diem Electionis hujusmodi, videlicet crastinum beati Luce Evangeliste, que est decima nona mensis Octobris. Et ego Petrus Archiepiscopus Moguntinus predictus ex officii mei debito ipsam diem ad electionem hujusmodi celebrandam prefixi, literis meis vocatoriis, ipsis Conprincipibus et Coelectoribus meis destinando. Qua die veniente, in suburbio oppidi Regalis Franckenfordensium, loco siquidem ad hoc solito et consueto, nobis Petro Maguntinensi, Balduino, Trevirensi Archiepiscopis, Joanne, Bohemie et Polonie Rege, Waldemaro, Marchione Brandenburgensi, ac Joanne, Duce Saxonie Supradictis ibidem convenientibus, celebrata missa Sancti Spiritus, deliberatione provide prehabita, ad procedendum in Electionis negotio prelibato, et in quantam debuimus expectantibus, quod Reverendus Dominus Henricus, Archiepiscopus Coloniensis et Rudolphus, Comes Palatinus, Dux Bavarie, nondum venerant, nec per se, nec per suos Procuratores in dicto loco convenerant; Nos pro bono pacis volentes in hoc eis deferre, ac facere gratiam specialem terminum supradictum, videlicet crastinum beati Luce Evangeliste unanimi consensu cum Reverendo Domino Balduino Trevirensium Archiepiscopo usque in diem sequentem duximus continuandum, quam continuationem dictis Archiepiscopo Coloniensi, et Rudolpho, Comiti Palatino ac aliis, quorum interesse poterat, Nos Archiepiscopus Moguntinensis ante dictus per Nostros Nuntios speciales ad id deputatos insinuavimus et notificavimus, et ad eorum notitiam deduximus, ipsos citando vice et nomine omnium nostrorum presentium, ut prefata die continuata in dicto loco ad eligendum conveniant. Qua die continuata ipsis Archiepiscopo Coloniensi et Comite Palatino, et aliis, quorum interesse poterat, sic vocatis, et sufficienter expectatis, quod non venerunt, nec pro se miserunt, nec vices suas alicui, seu aliquibus commiserunt; in Electionis negotio memorato, audita missa Sancti Spiritus, Nos Archiepiscopus Moguntinensis antedictus ipsa die continuationis, que fuit vicefima Mensis predicti, hora debita et consuetata procedere cupientes, in scriptis monitionem legimus et protestationem quandam vice nostra ac omnium ibidem presentium, jus in ipsa electione Regis Romanorum habentium, illa vice, monendo omnes infames, excommunicatos, suspensos ac etiam interdictos, nec non quoscunque alios, si qui forent forsitan inter eos, qui de jure, vel consuetudine interesse in ipsius Electionis negotio non deberent, quod a Tractationibus Electionis celebrande futuri Regis Romanorum et ab eadem Electione recederent, Coelectores nostros, nos et alios, quorum interesset eligere permittentes; protestando, quod non esset nostra, vel Coelectorum nostrorum intentiones tales admittere tanquam jus in dicta Electione habentes, aut procedere vel eligere cum eisdem, imo volumus et intentionis nostre fuit, quod voces talium, si qui reperientur interfuisse, nulli prestarent suffragium, nec asserent alicui nocumentum, et prorsus pro non receptis sive pro non habitis haberentur. Quam protestationem nos omnes supradicti una cum Reverendo Patre Domino Balduino Archiepiscopo Trevirensi Coelectores nunc presentes ratam et

gratam habentes consensimus in eandem; demum post Tractatus prehabitos consideratis sollicitate et diligenter circumstantiis pluribus et statu personarum diversarum, per quas seu per quam Regno vacante et Imperio posset utilius provideri; in illustrem virum Ludovicum Comitem Palatinum Rheni Ducem Bavarie, virum utique Catholicum, orthodoxe fidei fervidum Zelatorem, Ecclesie Sancte Dei et Ministrorum ejusdem ac Pacis sancte ab ineunte etate sua, experientia, que est rerum Magistra efficax, attestante, devotum et humilem amatorem, strenuum in armis, in judicio justum, in Consiliis providum, in universa morum honestate preclarum, benignum, affabilem et mansuetum, de alto et generoso sanguine divorum Regum et Principum procreatum ac in cunctis agilibus pro regimine Reipublice quam plurimum circumspectum, nostrum intuitum divina disponente clementia convertentes; Nos Petrus Moguntinus Archiepiscopus pro se et nomine suo; Nos vero Joannes Bohemie et Polonie Rex, chiepiscopus pro nobis et nomine nostro, prefatus vero Dominus Balduinus Trevirensis, Waldemar Marchio Brandenburgensis, et Johannes Dux Saxonie quilibet nostrum pro se et nomine suo, votis nostris per Dominum Moguntinum antedictum vice sua et nostra et ex speciali mandato nostro et suo diligenter inquisitis; Nos Electores predicti in loco predicto presentes, jus totale ea vice in Electione dicti Regis habentes, consensimus concorditer in eundem Ludovicum, et ipsum nominavimus quilibet nostrum pro se, nullo penitus discrepante, in Romanorum Regem eligendum, in Imperatorem postmodum promovendum; et in Advocatum Sacro Sancte Romane ac universalis Ecclesie, viduarumque et orphanorum defensorem. Quibus superactis ego Petrus Moguntinensium Archiepiscopus, de mandato speciali et voluntate mea et meorum Coelectorum predictorum, eundem Ludovicum Comitem Palatinum Rheni, Ducem Bavarie, elegi solemniter in hunc modum: In nomine Domini Amen. Cum vacante Romano Imperio per mortem felicitatis recordationis Serenissimi Domini Henrici, quondam Romani Imperatoris, vocatis, qui fuerunt vocandi, et qui in electione Regis Romanorum jus habere dignoscuntur, ac presentibus; dicta die continuata ad eligendum omnibus, qui voluerunt, potuerunt ac debuerunt, commode interesse; placuerit omnibus et singulis presentibus ad Electionem procedere futuri Regis; et inquisitis votis omnium et singulorum jus in Electione ipsius Regis habentium et presentium, singulos Electores predictos appareat ex premissis direxisse concorditer vota sua in illustrem Ludovicum Comitem Palatinum Rheni, Ducem Bavarie, in eum consentiendo et ipsum nominando in Romanorum Regem eligendum; per cujus quidem Ludovici predicti experta strenuitatis merita, fidei puritatem et constantiam, speratur Sacrosancta Romana et universalis Ecclesia potenter et utiliter defendari, ac in spiritualibus et temporalibus votiva suscipere incrementa, et etiam Respublica provide dirigi, et pariter superno suffragante auxilio gubernari; Ego Petrus Archiepiscopus Moguntinus antedictus, vice mea ac Coelectorum meorum predictorum jus in ipsa Electione habentium, ex potestate mihi per eos tradita specialiter et concessa, eundem Ludovicum, invocata Sancti Spiritus gratia, in Romanorum Regem eligo, in Imperatorem futurum promovendum. Electione autem hujusmodi celebrata eam nos omnes et singuli Electores predicti presentes approbavimus, et Te Deum laudamus alta voce fecimus

decantari; et dictum nostrum electum, qui presens extitit, Electioni de se facte, divine nolens resistere voluntati, interpellatus cum instantia a nobis, reverenter consensit, et deinde electionem ipsam Clero et populo solemniter fecimus publicari. Postmodum vero ipsum electum in Civitatem Francofordensium introducentes, in Ecclesiam Sancti Bartholomei deduximus et ipsum super altare majus, prout moris et consuetudinis est, adhibitis solemnitatibus in talibus debitis et consuetis, posuimus, Te Deum laudamus denuo decantantes, deinde in Coemiterio Ecclesie antedictae Clero et populo ipsum electum presentavimus, et ejus Electionem fecimus solemniter publicari. Ea propter Sanctitati vestre tam humiliter quam devote voto unanimi supplicamus, ut ipsum electum nostrum in Regem Romanorum paternis ulnis amplectentes munus inunctionis et Consecrationis eidem conferendo de Sacrosanctis manibus vestris Sacri Imperii diadema dignemini loco et tempore favorabiliter impertiri; ut sciant et intelligant universi, quod posuerit in lucem gentium vos Dominus, et per sanctitatis vestre arbitrium orbi terre post nubila exoptata Serenitas elucescat. Ceterum ut beatitudo vestra agnoscat evidenti-
 us, vota nostra omnium presentium in predictis omnibus et singulis concordasse, ac in petitione hujusmodi existere unanimes et concordas, presens electionis nostre decretum sanctitati vestre transmittimus; sigillorum nostrorum appensione ex certa scientia roboratum. Datum apud Franckenford, decimo Kalendas Novembris, Anno Domini millesimo trecentesimo decimo quarto.

Aus König's Reichsarchiv Cont. II. Part. Gener. p. 202—204 Nr. CLIV.

CCCCXLVIII. Die Ritter Friedrich von Alvensleben und Droysele von Kröchern beurfunden, daß Graf Berthold von Henneberg ihrem Herrn, dem Markgrafen Johann von Brandenburg, 450 Mark zur Auslösung der Schlösser Kissingen und Ermelteshausen bezahlt habe, am 29. Oktober 1314.

Nos Frydericus, de Alvensleve dictus, et Droyseko, de Crochern dictus, milites, coram singulis presencia intuentibus publice recognoscimus per presentes, quod illustris dominus, dominus Bertoldus de Henneberg, inclito quoque Principi, domino nostro Johanni, Marchioni Brandenburgensi, quingentas marcas Brandenburg. argenti minus quinquaginta, pro qua summa castrum Kyzke et castrum Ermelteshusen fuerunt obligata, pleniter et integraliter persolvit. In hujus rei evidenciam plenioram presentem litteram dedimus, sigillo domini Friderici de Alvensleve munitam. Datum Fulde, anno domini M^o. CCC^o. quarto decimo, in Crastino Symonis et Jude beatorum apostolorum.

Nach Schultze, Henneb. Gesch. I. 180.